

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Henricus Schuckman Iuris Doctor ... Ad Exequias Quas ... M. Pancratio Amselio, Poëtae Laureato Caesareo, Cantori ad S. Jacobi vigilantissimo Vidua & liberi moestissimi, ad hodiernam primam paratas cupiunt, Omnes omnium ordinum Cives Academiae sedulo invitat : [P.P. Rostochi[i] 19. Maii Anno 1654.]

Rostochii: Kilius, 1654

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn745847455>


Druck Freier  Zugang





Schuckman, H.,
in P. Amsel.

R. 1654.

27.







PROGRAMMA

Quo

RECTOR

Universitatis Rostochiensis

HEINRICUS SCHUCKMAN

Juris Doctor, Codicis Professor

Ducalis Consistorii Assessor

Ad Exequias

Quas

PRO CLARISSIMO

M. PANCRATIO

AMSELIO,

Poëtæ Laureato Cæsareo,

Cantori ad S. Jacobi

vigilantissimo

Vidua & liberi mœstissimi, ad hodiernam
primam paratas cupiunt,

Omnes omnium ordinum Cives Academiae
sedulò invitat.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

Anno 1654.

180

Nter artes ingenuâ ac liberali mente dignas, non postremo loco censendæ sunt, quæ invicem cognationem quandam habent, & non nisi *et Phisicæ*, propensione naturæ singulari ingenivè promptitudine, suiq; ipsarum amore insigni, seu addiscuntur facilè ac feliciter, seu rectè commodeq; exercentur, POETICA nimirum & MUSICA. *Poetas* lacte simul & melle pasci Pindarus cecinit, quorum lac naturam facundiæ ubertate affluentem, mel artem laboriosumq; proficiendi conatum ostendit. A quibus tamen procul absunt lascivi illi & insulsi, ut ita dicamus versificatores, qui nulli rei idonei vel utiles comperiuntur, nisi quod impuris, ridiculis, barbarisq; carminibus orbem complent. Boni, & prodesse volunt & delectare Poetæ, *Musica*, docente Aristotele, *ad virtutem pertinere quadam ex parte putanda est, eò quod possit, uti Gymnastica corpus benè constituit, sic animum afficere consuetudine honesta voluptatis, aut certè ad vitæ degenda rationem prudentiamq; aliquid* (addimus vero & nos: ad excitandam devotionem in Ecclesiâ, dummodo ad communem ædificationem composita fuerit, multum) *valeat.* Utriusq; laude claruit, cui iusta hodie parantur, Clarissimus M. PANCRATIUS AMSELIUS, Poeta Coronatus, Cantor Templi Jacobæi, ultra sex lustra, fidus atq; industrius, qui

qui Poesi pariter & Musicâ animos plurimum, non sine delectatione & utilitate insigniter affecti. Prodiit ipse in theatrum mundi, Parentibus prognatus integræ honestæq; ut vitæ, sic, quæ consequi ad hanc solet, & apud bonos quoscunq; in pretio est, existimationis ac famæ. Patrem habuit ANDREAM AMSEL, ex Stiriâ ejusq; oppido non ignobili, cui nomen *Stain* oriundum, ab amplissimo Senatu hujus Civitatis, in quam DEI, peregrinationis nostræ cursum dirigente terminanteq; providentiâ delatus venit, constitutum Musicum, artis suæ peritum, & exequendis demandati officii partibus sedulo atq; fideliter intentum. Matrem MARTHAM *Hildermans* / Fœminam virtutibus sexum muliebrem decorantibus deditam. Nativitas incidit in Annum 1593. diem 22. Octobris. Locus nativitatis ipsaq; adeò Patria, nostrum hoc quod incolimus Rostochium fuit, urbs tunc temporis faciei florentis ac vividæ, nunc languidæ & tantum non emortuæ. Ita editus in lucem, exceptus est à DEO, ejusq; clementiâ initiatus feliciter. Ecclesiæ, & nuncupatus suscepto Baptismatis Sacramento, Civis Jerusalem superioris. *Clementiam* id vocamus, & quidem indebitam, eamq; non vulgari, ut ut crebro se exserat, sed eminentissimo loco semper habendam, quippe quæ ex filio iræ naturâ, filium DEI, ex indigenâ terræ misero, heredem bo-

norum cœlestium reddit. Nomen PANCRATIUS, quo Patru sui Mercatoris quondam Pettoviensis in Stiria præcipui, siquidem huic *ὁμῶν μ* fuit, memoriam conservabat, sublimius quid, vi regenerationis, quæ ex DEO est, monere potuit; nempè, in eundem Duce Christo certamen athleticum cum hostibus nocentissimis peccato, Diabolo, morte, sed spirituale, idq; advocatis omnibus animæ & corporis viribus omniumq; nervorum contentione transigendum, donec divinâ terminetur victoriâ, & qui comes hujus est, triumpho maximo, impo- nente capitibus eluctantium non corruptibilem sed æternam coronam justitiæ. Ab in eunte ætate pue- rili defunctus noster benè educatus est. Educatio- nis hujus bona pars erat, quod primum in patriâ tum Scholæ triviali publicæ, tum privatæ Institutioni doctorum moratorumq; Juvenum, è quibus adhuc Reverendus Vir PETRUS BRUNO, Pastor Eccle- siæ Schorrentinensis, in vivis superest, literis mori- busq; formandus traderetur. Tantum vero sub iis profecit, ut dignus censeretur, eruditorum virorum judicio, qui mitti ad alia loca posset. Misus itaq; est de consilio eorum, à Matre, post obitum Patris sui, Lubecam Anno 1609. instructus à plurimum Reverendo & Excell. Viro D. LUCABACKMEL- STERO Ecclesiarum in Distriktu Gustavoviensi Su- perintendente p. m. literis *ουσελιν* ad Reverendum & Clarissimum Virum M. JOHAN. Stolterfoth/ Pasto-

182.
Pastorem Ecclesiæ Lubecensis ad S. Mariæ, atq; ab
hoc vicissim commendatus est ibi Rectori Scholæ
OTTONI GUALTPERIO, S.S. Theolog. Doctore,
qui eundem non modò in ordinem Scholasticorum
recepit, sed & porrò munificentia Dn. JOHAN-
NIS Vinhagen/ Senatoris & postea Consulis Reipub-
licæ Lubecensis commendavit. Hujus liberis in-
formandis præfuit Defunctus noster per sesquian-
num præceptor fidelis, nec suis ipsius studiis pro-
vehendis interea defuit. Lubecâ verò profectus est
Anno 1610, Lunæburgum, ubi similiter, præviâ com-
mendatione M. JOACHIMI BURMEISTERI,
Rostochio ad Antonium Burmeisterum Cantorem.
Lunenburgensium perscriptâ, liberalis Mensæ prima-
riorum civium particeps factus, & Rectoris M. Fri-
derici Dedekindi doctrinâ ut probus discipulus u-
sus, annum integrum cum dimidio exegit. Indè do-
mum revocatus à Matre, & inito cum prudentibus
consilio, ablegatus hinc est ad celeberrimam Aca-
demiâ Wittebergensem Anno 1612. ibiq; magni
Nominis Viros optimeq; de Ecclesiâ & re literariâ
meritos, D. Leonhardum Hutterum, D. Franzium,
D. Fridericum Balduinum, D. Balhafarem Meisne-
rum, Fridericum Taubmannum Poetam excellen-
tem, docentes audivit, animo nimirum ad Studi-
um Theologicum, artemq; Poeticam, quam duce
naturâ benignam in primis faventemq; sibi exper-
tus est, applicato. Rediit tamen eodem Anno cir-

câ Festum Michaelis in Patriam, metu pestis, quæ
VWittebergæ tunc gliscebat, compulsus. Anno pro-
ximè sequenti 1613. peregrinationi se dedit, & in hâc
lustratis Regionibus urbibusq; variis, potissimum
Paris sui Patriam in Stiriâ, atq; in eâ familiam co-
gnationemvè suâ invisit, per trimestre ibidem com-
moratus. Redux ex peregrinatione Anno 1614. mu-
nus Collegæ in Scholâ Gnöjensi suscepit, promotus
ad id commendatione D. LUCÆ BACKMEISTE-
RI, Superintendentis, quem diximus, Gustroviensis,
Occasione illius officii Conjugium contraxit eodem
in loco cum Virgine lectissimâ ELISABETHA
Riß / Anno 1615. Verum, cum Salarium tenue & sic
media calendæ familiæ minus sufficerent, abdicavit
se munere isto scholastico Anno 1616. Et subse-
quenti statim anno, ex quo ipse Poëseos, uti dictum,
felix pariter atq; industrius cultor, Laureâ Poëticâ,
& quæ hanc comitantur privilegiis tali honori di-
gnitatiq; debitis, vi potestatis Cæsareæ, manu ac voce
DN. REIMARI Seltrecht / J. U. D. & Comi-
tis Palatini, Wolgasti in Pomeraniâ, die 5. Febru-
arij, decoratus donatusq; fuerat, Rector Scholæ
Luegdensis in Westphaliâ, literis Primarii Consu-
lis manu exaratis legitimè vocatus, officio illo, ut &
habendis, ibidem pro more recepto, Concionibus
Dominicalibus à Meridie, per quinquennium, cum
laude & applausu Senatus civiumq; functus est. An-
no 1622. oblatum ei fuit munus Cantoris admini-
stran-


strandum in Patriâ. Recepit illud, tametsi à Lueg-
densibus agrè & non sinè lachrymis dimissus, amo-
re Patriæ, præviâ Prudentissimi Senatus hujus Ur-
bis vocatione. Reversus ergò Rostochium cum
Uxore & liberis; & sequenti Anno 1623, de consilio
Reverendi & Clarissimi Viri M. JOACHIMI
WESTPHALEN, Ecclesiæ Rostochianæ Super-
intendentis, aliorumq; amicorum suorum, ad Ma-
gisterii gradum, Decano Amplissimæ Facultatis
Philosophicæ M. GEORGIO DASENIO, Ma-
theseos Professore Publico, evehctus, demandatæ
functioni, fidelem navavit operam. Ex Conjugio
& Conjuge sibi dilectâ, cujus suprà meminimus, sex
suscepit liberos, quorum filii duo, nempe ANDRE-
AS EVERHARDUS AMSELIUS, Rector
Scholæ Plavenfis in hâc Provinciâ, & HINRICUS
AMSELIUS, Collega Scholæ Rostochiensis;
itemq; tres filiæ, videlicet MARTHA, Rev. LAU-
RENTII PETRI, Pastoris Ecclesiæ in Grossent
Radumb / ANNA MARGARETA, Rev. SA-
MUELIS BRUNONIS, Pastoris Ecclesiæ in
Gorkendorff / & ELISABETHA, Eximii JO-
HANNIS ZEISII, Rectoris Scholæ Fridlanden-
sis, Uxor, superstites, Parentis sui obitum acerbè
nunc lugent; unicâ filiolâ, quæ non nisi quadran-
tem anni attigit, præpopero fato Anno 1623. ex-
stinctâ. Soluta, per mortem Conjugis desidera-
tissimæ, cum quâ defunctus noster totos triginta
&


& cum annos eosq; placidos ac pacatos transegit,
conjugiali vinculo (factum id est Anno 1646. die 2.
Maii) quandoquidem solitarius curæ rerum do-
domesticarum ob rationem officii superesse non
posset, ad secunda vota transit, Virgine ornatissi-
mâ MARIA Schulzen / Uxore ductâ; quæ & ipsa
Maritum hunc suum unius filijæ ANNÆ Mariæ,
vi benedictionis DEI, parentem fecit. Vixit verò
piè defunctus cum posteriori hâc conjugē sibi charâ, itidem
placidus pacatusq; per septennium. Officio Cantoris in
Templo Jacobæo præfuit fideliter annos triginta & duos.
Obiit tandem piè atq; beatè, die 15. Maji (quæ erat secunda
Pentecostes feria) paulò post tertiam pomeridianam, anno
ætatis 61. utpotè Scorbuto variisq; Catarrhis, quibus la-
boravit, exanimatus. Antecessit beatum è terris dicendum
pia vita, quam defunctus noster sedulo auditu verbi divini,
usu Coenæ Dominicæ, cujus antè tres hebdomadas operâ
Reverendi & Clarissimi M. ENOCHI SVANTENII,
Ecclesiæ ad S. Jacobi Archidiaconi, compos denuò factus
est, nec non desiderio vitæ æternæ, precibusq; devotis, alie-
nus ab omnibus diris & execrationibus, demonstravit, testi-
bus iis, cum quibus versatus est, quiq; eidem ad ultimum
usq; Spiritum adfuerunt. Quod superest, *Cives Academici*,
Funus nobis sicut nudius tertius sistebatur. Studiosi
ornatissimi, Juvenis annorum 29. ita nunc exhibetur
benè de Ecclesiâ Scholâq; nostrâ meriti senis sexagenarii.
Ite & hujus exequias, & inter eundem, quomodo nulli æta-
ti mors parcat, cogitate. Minuetis hoc ipso dolorem Vi-
duæ ac liberorum, totiusq; lugentis familiæ. Et hoc, præ-
ter invitationem nostram, Christiana exigit Charitas.


P. P. Rostochi sub Sigillo Rectoratus

19. Maji Anno 1654.

Conventus fiet horâ prima, in Templo Jacobæo.










strandum in Patriâ. Recepit illa
 densibus agrè & non sinè lachrym
 re Patriæ, præviâ Prudentissimi S
 bis vocatione. Reversus ergò R
 Uxore & liberis; & sequenti Anno
 Reverendi & Clarissimi Viri M.
 WESTPHALEN, Ecclesiæ Ro
 intendentis, aliorumq; amicorum
 gisterii gradum, Decano Ampli
 Philosophicæ M. GEORGIO D
 theseos Professore Publico, eved
 functioni, fidelem navavit operam
 & Conjuge sibi dilectâ, cujus supra
 suscepit liberos, quorum filii duo, n
 AS EVERHARDUS AMSE
 Scholæ Plavensis in hâc Provinciâ
 AMSELIUS, Collega Scholæ
 itemq; tres filia, videlicet MAR
 RENTII PETRI, Pastoris Ec
 Radumb / ANNA MARGAR
 MUELIS BRUNONIS, Pas
 Gorchendorff / & ELISABETH
 HANNIS ZEISII, Rectoris Sc
 sis, Uxor, superstites, Parentis su
 nunc lugent; unicâ filiolâ, quæ n
 tem anni attigit, præpopero fat
 stinctâ. Soluta, per mortem C
 tissimæ, cum quâ defunctus nos



â Lueg
 , amo
 jus Ur
 n cum
 onfilio
 H I M I
 Super
 ad Ma
 culratis
 O, Ma
 andatæ
 onjugio
 nus, sex
 DRE
 Rector
 ICUS
 iensis ;
 . LAU
 broffent
 v. SA
 elia in
 nii J O
 anden
 acerbè
 adran
 23. ex
 sidera
 triginta
 &